Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



·CCC·li·

Factumq; est ita. Et uocauit ds firmamentum celum. Factumq; est uespe et mane dies secundus. Dixit autem ds. Congregentur aq; que sub celo sunt in locum unum et appareat arida. Factumq; est ita. Et uocauit ds aridam terram. Congregationesq; aq; appellauit maria. Et uidit deus quod esset bonum. Et ait. Germinet terra herbam uirentem et facientem semen. Et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam uirentem et ferentem semen iuxta genus suum lignumq; faciens fructum et habens unumquodq; semen secundum speciem suam. Et uidit ds quod esset bonum. Factumq; est uespe et mane dies tertius. Dixit autem ds. Fiant luminaria in firmamento celi et diuidant diem ac noctem et sint in signa ac tempora et dies et annos ut luceant in firmamento celi et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitq; ds duo magna luminaria luminare maius ut preesset diei et luminare minus ut preesset nocti et stellas. Et posuit eas in firmamento celi ut luceant super terram et preesent diei ac nocti et diuidant lucem ac tenebras. Et uidit ds quod esset bonum et factum est uespe et mane dies quartus. Dixit quoque ds. Producant aq; reptile anime uiuentis et uolatile super terram sub firmamento celi. Creauitq; ds cete grandia et omnem animam uiuentem atq; motabilem quam produxerant aque in species suas et omne uolatile secundum genus suum. Et uidit ds quod esset bonum benedixitq; eis dicens. Crescite et multiplicamini et replete aquas maris auesq; celi multiplicentur super terram. Et factum est uespe et mane dies quintus. Dixit quoque ds. Producat terra animam uiuentem in genere suo iumenta et reptilia et bestias terre secundum species suas. Factumq; est ita. Et fecit ds bestias terre iuxta species suas et iumenta et omne reptile terre in genere suo. Et uidit ds quod esset bonum et ait. Faciamus hominem ad ymaginem et similitudinem nostram et prosit piscibus maris et uolatilibus celi et bestiis uniuerse terre omnique reptili quod mouetur in terra. Et creauit ds hominem ad ymaginem et similitudinem suam. Ad ymaginem dei creauit illum masculum et feminam creauit eos. Benedixitq; illis